14155

Dąmbski Stanislaus
Episcopus Cracoviensis

Minoris Poloniae Collegio. Sacri Muneris se-
culorum Stanislaus Secundus — 1700.

MUNUS SECULORUM STANISLAUS II.

CELSISSIMUS PRINCEPS,

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus

D. STANISLAUS

IN LUBRANIEC

DAMBSKI

EPISCOPUS CRACOVIENSIS,

DUX SEVERIÆ &c: &c:

Ex Anni Sancti Indulgentia

CONCESSUM

IN PRIMO & FELICI CATHEDRÆ INGRESSU,

A

Regio-Episcopali Cracoviensi,

Et Dioecesanis, Lublinensi, Sandomiriensi,

Societatis JESU Collegiis.

RELIGIOSA PANEGYRI

Seculorum Utilitati dicatum,

ANNO SECULORUM REGIS, 1700.

CRACOVIÆ,

Typis, NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL, S. R. M. Ord: Typ:

Quod præstabilius est, aut pulchrius MUNUS Deorum, quàm Castus, & Sanctus, & Diis simillimus PRINCEPS? *Plinius.*


TALE DABVNT VIX SECVLA MVNVS
Subdit
ferendo GRATIA
ANNORVM EXSPECTATIO CENTVM

CELSISSIME PRINCEPS.

SVbvenis tenuitati nostræ PRINCEPS CELSISSIME, ut possimus occurrere Tibi non vacui. Munus habemus à Te ipso, et inter dona, nullum Teipso potius. Quod ut locuples esset, impensa sunt Secula, et quidquid tempora

possunt, in pretium contribuerunt. Non igitur, fiducia tanti Muneris, precabimur, quod conscii exilitatis suæ solent, ut, non dedigneris. Nam eo usque processimus audaciæ, ut permittamus Tibi aspernari Munus nostrum, si Cæli Donum, et Seculorum Munus autumas posse contemni: at enim longe id à Te abest, qui Dona Cæli et discernis, et æstimas. Obstat etiam Seculi nostri sensus, quod cætera, in se unum locupletandum, æstimat exhausta. Est tamen quod in Munere etiam Magno, deprecemur. Nimirum, non tantum Te reddimus Tibi, et Seculo nostro exhibemus, quantum, exorata, Terris, Numina dederunt. Inter manus scribentium, aliquid de tanto Munere intercidit. Sed Seculare esse, constare debuit, quod proinde, Seculo brevior oratio non æquat. Muneris igitur tanti sibi conscia, in Manu PRÆSVLEA, tanquam in Ara Fortunæ, dignum Cælorum liberalitate, non inferius Tuâ Celsitudine, Munus Seculorum, cum voto Seculorum deponere audet.

ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ
CELSITVDINIS TVÆ,

Devotissima
Societas IESV Diœcesana.

ITe, Coronati votis felicibus, Anni;
Nunc, hilarem ſignare decet, meliore metallo
Vultum; quid, chalybis duro prænomine, Gentes
Opprimitis? Communis Amor, Columenq́; Poloni
Orbis, adeſt cum *Sole novo, cum grandibus Aſtris*
ANTISTES, qualem, Craciæ, longæva vetuſtas
Invideat, ſimilemq́;, ſequens dare neſciat ætas.
Centeno, quamvis conuſrgat lumine, Titan,
Splendorem ſuperat tamen VNVS, Principis Aſtri,
Orditurq́; novum (ceu Phæbo dignior) Ævum.
Sic horæ, pretium, lucemq́; à Præſule ducet
Cuncta dies; primis, ſuper-imminet ampla Tiaris
Infula, & Illuſtres, dum cingunt TEMPORA, Vittæ,
Aurea ſpondebunt, afflicto, SECVLA, *Mundo.*

TRiumphali omine, inter revireſcentem novâ Cydari, frontem Tuam, recens Seculum, ſuam auſpicatur infantiam; ut, qui, novâ honoris auctione, Or-

bi naſceris, communicatam lucem, communeſq; cum Seculo, cunas uſurpes. Qui enim Potentiſſimi AUGUSTI, idem & elapſi Seculi temporibus, debebas imponere Coronidem, & in evolvente ſe, novâ anni benignitatis Coronâ, quinquies Rex Sacrorum comparere; non exiguâ, quãvis non feſtinatâ, temporum commendatione, quòd ſeculi exſpectationem impenſam voluerint in Seculare Munus: quale ut iterum eveniat, cùm ſecula laboraverint, ægrè obtinebunt. Sed ne Muneris tarditatem queramur, temporum moram redemiſti, Tuorum honorum pretio, &, ſi longiora intervalla, in Te formando, impendit Honor; utiq; temporis etiam impendio opus fuit, ut abſolveret; ne, feſtinata felicitas, exſpectationem tantùm viciſſe, non admirationem, quoq; ſuperâſſe videretur. Extemporanea magnitudo, abortiva plerumq; cernitur: raròq; celeritati illius, reſpondet perennitas, in quam, ne quidquam conferrent Secula, totum vigorem, in brevem lucem præcipitata exhauſit feſtinatio. Non ſecus atq; properata fluviorum opulentia, propè non ſimul, ſeſe ultra margines exonerat, et minuitur. Nec aliter, quàm feſtina in àëre fulguris claritudo, quæ & ſcintillam naſcenti ſplendori præfert, & facem ad exitium. At verò,

rò,

rò, ævum ævo, ætas ætate truditur, & ſeculis labor imponitur, ut, diu meditatum deſtinatumq; evenias, Seculorum Munus. Nimirum, ſi quid exile donent, non ſe exhauriunt tempora; at pro beneficii magnitudine, & temporum ſolet eſſe menſura. Vileſcit donum, citò parabile, laboratq; fides, ut magnum credat, in quod, Seculorum labor non incubuit. Et idcirco, in recenti, exaggeramus pretium, quòd Seculare ſit. Quã voluiſſemus quidem præcipitare tempus, urgere morantes horas, ut magnum Munus cumulâſſent celeritate; ſed ignari, noſtris ipſi votis, de Muneris magnitudine, decerpebamus. Iam non vulgare creditur, quod, Seculo nequivit eſſe feſtinatius. Vt planè, acceſſu Cathedræ, quæ ſi prima fuiſſet, tarditatis tamen querelam non effugiſſet, maximorum motum æmulari videaris; quæ, quantùm minoribus, agilitate cedunt, tantùm ipsâ rurſus tarditate, minora prætercurrunt. Nimirum curſus ſuos, multa, annorum; pleraq;, mẽſium ſpatiis circumſcribunt. At quod primum inter Mobilia eſt, Seculorum ambitu volvitur. Patere, hoc illuſtri Schemate dignum Seculorum morâ, Cælorum Munus adumbrari; atq; cùm reliqui, beneficia penſent celeritate, Secularis magnitudinem Muneris, æſtimari ex tarditate.

ANtequam narremus encomia, querelas admitte PRÆSVL.

Magnorum est: pronam gemitibus, dare aurem.

Siccantur lacrymæ, Splendoribus Illustrissimis

Et, (velut concham irrorans gutta,) in gemmas abeunt,

si defluant ad plantas MECÆNATVM.

Æstimate Posteri, modestiam PRÆSVLIS,

Elogia sua, nunquam, Principe dignaretur obtutu,

Nisi, ex prima, paginæ facie legeret, se incusari.

Iam, Dux CELSISSIME, ausculta querulum dolorem:

Diuturnâ, Tui exspectatione, distraxisti animos;

serò, inflictum vulnus, Cracoviensi illigas Vittâ.

Sæpius, patientiam nostram lacessivisti,

quòd nondum advenisses.

Obsedisti pectora, longoq; Tui desiderio enecta,

solâ spe alebas.

Planè sub Tiara Fabius, cunctando devincis omnes.

Divinitatis exemplo, lates intra singulorum mentes,

nec videri sustines.

Tandem, Secularis, Te adfert Annus, integro Seculo exspectatum.

Nimirum, non unius es anni negotium:
tota laboravit antiquitas,
ut efformaret Sui Compendiũ, Seculi nostri ornamentũ, secuturi exemplar.
Te meditabatur Natura, dum Illustrissimos procrearet Majores;
produxit Maximos: rudimentum erant, Te facere condiscentis.
Omnis deinde certavit *Ætas*,
ut, à Tua Virtute, sortiretur pretium.
Aureum PRÆSVLEM, vendicabat *Aurea*;
Candidissimos mores, ambivit *Argentea*;
vicit nihilominus *Ferrea*.
Et beneficium, se accepisse credit,
dum propiùs inspicit Virum, *simul omnibus Insulis parem,*
singulis altiorem:
quod verò, prodigio simile, dum præsentem habet, desiderat.
Numinis more, spectaris absq; tædio.
Idem est, Te cernere, ac amare.
Nec amari potès, quin beatos reddas.
Etiam Fortuna, Tibi, totis inhæreret obtutibus,
si haberet oculos.
Hic ipse, Tui amor, hæc desideria, tardârunt ingressum;
lentiùs consultò, incedebant dies:
eam scilicet, unusquisq; anhelabat felicitatem,
ut, Inaugurationi Tuæ, intensiùs affulsisset.
Et jam, decurrens ævum, DAMBSCIANVM appellare placeat,
quo, Caput submittis Insulæ.
Cæsarum titulis, nonnulli coronentur menses;
TVA, paria Æternitati, merità,
Seculo, nomen dabunt.
Diu exoratus, diutissimè, TE commoda.
Nec TE invideat Æternitas, Tempori.
Equidem, Virtutum immortalitas faciet, ne mori possis.

MAgnitudinem Muneris, ambitu Seculorum emensi, eandem, Anno Sancto æstimabimus. Et habemus Superis gratias, quia inter il-

lius munificentiā, ad prodigium, ſeſe probârunt beneficos, Cæli Indulgentiâ, in Te Vno, liberaliſſimè impertitâ. Didicimus inde, cara eſſe, recluſæ in Latio, Aureæ Portæ pretia; per quam, Aureus omnibus ANTISTES occurris. Et verò, tam Sanctè, Tibi, comparatus Honor, quo potiùs eveniret Anno, aut cujus potiùs probitate Pontificis, pronomē SANCTI, ſibi conciliaret Annus? Nimirum, nihil improbitati licebit ſub Antiſtite, quem, ſanctus inaugurat Annus. Vtinam, reliqua, tā liceret proſequi auguria, quàm, ex Inaugurationis tempore, ſponte capi poſſunt. Quis enī ambigat, documenta dari, Pontificē noſtrū, nihil ambitioni, nihil promoventium ſtudijs debere, &ſi alicui, Cælitum Gratiæ, obnoxium eſſe? Sic nempe meritorum ſuffragium affert, ut adminiculum Gratiarum admiſerit, ſed Anni Sancti. Quis prohibet, ſimul, in recluſos, Romanæ Portæ poſtes, ſimul in arcanorum abdita, ſeſe penetrare, atq; Orbi evulgare, jam receſſus patere, quibus, digni Antiſtites latuerint. Quis deniq; non rectè arguat? cumulatas in Vno, Cæli opes, profuſa in ornamentum, Seculi æraria, depulſam probitatis pauperiem, eademq; manu, Eccleſiæ theſauros patuiſſe, & Gemmam Sacerdotum Pontificumq;, inde depromptam.

Re-



REvocatas, desine conqueri POLONIA, Indulgentias.
Redeunt omnes, cum PRÆSVLE.
ILLVSTRISSIMVS ANTISTES, *maxima est, superûm Indulgentia:*
Qui, talem dedit Annus, vocari debuerat
IVBILÆVS.
Nuncupari debuit & MAGNVS:
ut, ad mensuram MAXIMI ANTISTITIS, accederet.
Nimirum, tanti Viri meritis, etiam tempora crescent.
Longiores censebuntur menses, quos extendet virtutibus;
si, Beneficiis computentur,
intra singulos dies, latebit ætas.
Sed, & titulum SANCTI, præfert, *Inaugurationis Annus.*
Scilicet, componere se voluit, ad mores PRÆSVLEOS.
Sub Optimo ANTISTITE,
discent Probitatem, etiam tempora:
Sanctior evadet ætas, quæ illum aspiciet.
Exesto, ferreum deinceps Seculum.
Aureâ Portâ, ingreditur ÆSTIMATISSIMVS PRÆSVL,

aurô, posthâc, computabimus momenta.
Ipso nomine, indicat ANNVS GRATIÆ,
Supra merita nostra, dari TANTVM ANTISTITEM.
Palàm fuit, graviter in eum deliquisse *Poloniam*,
Craciâ, hucusq; dilatâ Tiarâ:
Magnum ergo exspectavit IVBILÆVM,
ut, quod in eum peccaverat, aboleret.
Absolvit proinde, priorum annorum piaculum, SECVLARIS ANNVS.
Sed absolvit & vota nostra, IVBILÆVM.
Nimirum, unicum erat ille, omnium Votum.
Et, ut, Cælitùs demissum credas,
patet adhuc, eo veniente, benignioris Cæli, Ianua.
Ne penuriam Pontificum causeris;
dum ROMA, ECCLESIÆ Thesauros reserat,
Et GEMMAM SACERDOTVM, *inde depromit.*
Patet jam, quàm locuples Donum, sub Petri Clave servetur,
nimirum, quod, ex haustum Viris, Orbîs ærarium,
Cumulare VNO, ad opulentiam possit.

SEculorum prope Principem celebramus; talem, ex Seculari Indulgentia, talem, ex destinato, SECVLORVM DONO. In documentum, Antiquissimam Arboris Stirpem, semel evulsam, ætatum lapsu firmatam, defigimus. Ipsa enimvero, Generis Origo, Te, multiplicis ævi Laborē Donumq; arguit. Dedisti argumentum, non quovis è ligno, fieri Mercurium, postquam sexcentis annis adolevit Arbor, ex qua, Te fingeret Honor, Cui, exhaustis Dignitatum insigniis, non habet quod adijciat, præter GALERVM. Hîc juvat, orationi inserere Victoriosissi-

osissimam Arborem, sed non alterius dexteræ officio, quàm evellentis. Forti hâc manu, præter virtutum subsidium, Honores adis; & in gloriã Tuam, adhuc militat GODZIEMBA. Quantus, & quanto prodigio Miles! qui, novo præliandi genere, hostes, penitus exarmavit, cùm suum, intra hostem, reliquisset mucronem. Subiit deinde chalybis vices, evulsa PINVS, mox, in Laurigerum transivit Nemus. Istud planè fuerat, non tam evellere Arborem, quàm, Hostibus palmam eripere. Admiratus est SIECIECHVS Exercituum Dux, ingenium Viri, talia substituentis Arma; admiratus, plausisse Viro, sylvas, & prosiluisse non reluctantes ad militandum; crediturq;, fortitudinis prodigio attonitus, tantùm in omina, solvisse verba: cresce, vovebat: Triumphalis Arbor, per secula extende propaginẽ, produc miracula, semelq; mota, migra in multorũ decora: præsagiũ surgit a Teipsa, futurũ, ut, Tibi, plures inseri gestiant, qvã, non ascia vel securis, sed cædes hostiũ, excidit. Imperatorium omen, Seculorum, approbavit eventus. Nã velut impressi semel, retinens roboris Arbor, propagavit se deinceps in Fortibus. Certè felicium Armorum augurium, asseruit FELIX PANIEWSKI, & placuit Pannonico Marti,

bel-

bellorum DVCTOR, quem sciret de illa GENTE, cui sylvæ militarent. Respondit deinceps fortunatissimo Nomini, par ubiq; Virtus, non difficiliore hostiũ strage, quam, si esset nemorũ. Post gestatas verò, in Hungaria clavas, quem, usus victoriarum, pridem fecerat, POLONIA quoq; Exercitûs dixit Imperatorem; nec una clava implere satis manum potuit, integrâ quamvis PINV impeditam. Et quoniam diffusæ Consanguinitatis, Arbor ista est, alienumnè erit memorare, ab eadem stirpe, in diversa euntes, semper tamen ampliore incremento ramos? Primi hîc occurrunt LVBRANSCII, quibus diversa Nomina à DAMBSCIIS, eadem origo. Patebit deinde Seculis, tam facilè fuisse ILLVSTRISSIMIS DAMBSCIIS & LVBRANSCIIS, Magnum fecisse, quàm mutâsse Nomen. Cæteros inter, MARTINVS LVBRANSKI, Posnaniensem & Vratislaviensem Tiaram, in unũ coget Verticem; cùm verò sociaverit, emeritæ Frontis decora, deprehendetur facilè, capacitati non respondisse numerum Infularum. Hic ille Antistes erit, qui amplificandæ Domui, curas impendet, Sacrarum Ædium molitione. Non enim meliùs, res nostras curamus, quàm neglectu; nec urgentiùs, humana promoventur, quàm

Divi-

Divinorum ſtudio. Id non ignorabat, Liberale MARTINI Nomē, utq́; Cælo, propè avocaret Numen, providit, ut incolere terras, poſſet auguſtiꝰ; Septē enim, ſupra Quinquaginta, Sacras Ædes excitavit. Dicite: ſi non reperiſſet, an non feciſſet Diœceſim? Stabunt proinde, eadem, Divorum fana, & LVBRANSCIANÆ Pietatis monumenta, cenſusq́; Eccleſiarum erogatus, numero earundem computabitur. Iam, Pietatis Arces, & veriora, Patriæ Propugnacula, cōdiderat LVBRANSCIVS, jam, CHRISTI Patrimonium, optimis profuderat impendiis; & pulchra contentione, Studium Fratris in Patriam, æmulatus VINCENTIVS Palatinus Poſnanienſis, etſi Liberis non careret, Rempublicam, in Filiorum numerum adſcivit. Itaq́; datum eſt, Ordinationum initium & exemplum, Boniq́; Civis Patrimoniū, fuit Hæreditas Patriæ. Quidquid deinde per tale Ordinationum genus, tranſcriptum Patriæ, videri poteſt dediſſe exemplo VINCENTIVS, Primus Author, ne, inter privatorum opulentiam, egeret Patria. Æſtimabit Poſteritas, beneficentiam, ſed magis inde, quòd fuerit ſine exemplo. Nam, ſi raros habet Æmulatores; paucio-res numerat Auctores, in commune, beneficentia. Neſcio, quâ falsâ opinione imbuti animi, ſuis re-

 bus

bus existimant decedere, quod, Publico accesserit: at VINCENTIVS, id solùm se habere ratus, quod, Patriæ impendisset. Non ipsam porro Fortunam, in usus Patriæ exhausit; Naturæ quoque legem imposuit, ut non sibi, sed Reipublicæ, Filios procrearet. Et verò, cùm se, in duobus geminasset; in altero, Pro-Cancellarii annulo, post addictas Patriæ opes, Nobilē inseruit Gemmam: in altero, Castellanam Brestensem Cujaviæ, perpetuandam GODZIEMBIS, trabeā, inauguravit. Divisêre deinde isti inter se vices, ut alter, Lectissimas Familiarum Matres, alter, Honoratissimos Parentes provideret. Certè, trib9, Pro-Cancellarii Regni, Illustrissimis Filiabus, veluti tribus Gratiis, risit Polonia, solo discrimine, quòd non essent innubæ. Illarum una, in Fortunæ altum, OPALENIA enavigavit Argo: altera in PRZYIEMSCIORVM Cælo, inter Gentilitium effulsit Sidus: tertia ad Laudum Pharetram, CHLEVICCIORVM adjecit Sagittam. At Illustrissimus Castellanus, Lectissimæ Soboli, adjecit fæcunditatem, novem Filiorum. Nec numerus, dispendiū fuit raræ indolis, &, cū, animo pares essent, intercessit tamen inter illos, dissidium, quod, Virtutum æmulatio excitat; cū studium unius in Patriam, alterius contentionem

pro-

provocaret. De cætero, unitatis detrimentũ, numer9 non fecit. Quivis, triumphãtis GODZIEMBÆ, se probavit propaginem, Clavas, Primiceria, Præfecturas meritus. Et poterant deinde, postquam nupsêre Bellonæ, sponsare Nobilissimas. Militares Aquilas secutus unus, meruit quoque RADIVILIAS. Alter, de POTOCCIORVM Sanguine, triumphos in dote, quin ipsã, (à qua, Nomen Sponsæ nõ abluderet,) VICTORIAM duxit. Alter, TARNOVIORVM Cynthiâ, suos accendit Hymenæos, hoc est Sol, Lunam in Consortium, evocavit. Mediũ, alter, DZIALYNIORVM annulum, perfecit in orbitam felicitatis. Nec reliquos, nascendi conditione pares, sors nubendi discrevit. Hæc omnia, quamvis Tua sint, Princeps Celsissime, solius Nominis diversitas, à Te secernit. Quanquam, hac in re, potior est Sanguinis communio, quàm Nominis differentia. Iam ILLVSTRISSIMVS PARENS, in partẽ, Tuæ panegyris veniat, & Tu, in Parentis gloria censeare. Illud enim optimum, elogii genus, quod, ita Genitor impendit Filio, ut hic vicissim reddat. Aliàs, inter opprobria natorum, laudem Paternam repono, si vitio suo, præconium Patris, Filius faciat extraneum. Abest illud à Te, CEL.

SISSIME PRINCEPS. mutua enim Tibi, ex PATRE ILLVSTRISSIMO, naſcitur laus, & à Te rependitur. Parentis encomium erit, omnium, ſummam de Te, exſpectationem inchoâſſe; Tua, abſolviſſe. Illius erit, omnium Virtutum formam indidiſſe: Tua, non reluctante indole, induiſſe. Ad Parentem referemus, per Virtutum incrementa, Gentilitiam Arborem propagatam, Tibi, acceptum reddemus, non degeneri fronde, nobilitatam. Ita, cumulatior ex Te, Pater, ſi præſertim, in commune decus, veniat ILLVSTRISSIMVS FRATER Palatinus Breſtenſis, Cujavienſis. Libet hîc committere Fratres, &, raræ concordiæ, dare anſam æmulationis. Pergite, quo, diſpari niſu, in eandẽ gloriam contenditis. Tu Infulas mereare, ille, Palatinas Curules, Tu, quas, Te ipſo orbatas relinquis Cathedras, iiſdem, in doloris ſolatium, relinque virtutis exempla: ille, Trabeatos Patres educet; ſic priſca ſecula revocabitis. Et, Tu quidem, Sacrã Dignitatem, LVPI GODZIEMBÆ, Plocenſium; ANDREÆ LASCARI, MARTINI LVBRANSCII, Poſnanienſium Antiſtitum, tueberis, Ille, trabeatum Honorem, transmittet Poſteris, auctiorem. Iam ille quidẽ, Tribus Illuſtriſſimis Filijs auctus, & præſen-

tia

tia Secula, non sterili spe recreaverat, & futuris prospexerat. Ex, Arboris suæ,indole, triplici propagine masculâ, veluti ramo, in ætates posteras, se extenderat. Sed, non extra ictũ fuit, immortalis prope, GODZIEMBARVM Arbor, cæduã fuisse, probavit Vnus avulsus. Sentimus adhuc, atq; sub ictu ingemiscimus! Hoc actum est, ut spes Publica Domûs, tantùm non sit præcisa in Vno. Flos ille fuerat, ætatis pariter ac Avitæ Arboris, in fructum adolescebat, imò, supra ætatem maturitas, sibi obfuit. Permisit sibi, immaturum fatum, quod actum in Arbore constabat, & quia evelli potuit, credidit, aliquid etiam ab ea posse avelli. Hîc, arguet quispiam: malo consilio, vulnus refricari. Sed ille, moderationẽ nescit Principis, in perferendo. Sensit, quod hominis erat; supra hominem æquanimiùs, tulit. Acutiùs, nemo Cognatorum, doluit; nemo Extraneorum, dolorem pressit fortiùs. Nullum, jactura tetigit vibrantiùs, nullus in magna clade patientiam servavit integriùs. Cerneres mærere omnes, pallere ora, alieno præmaturè morientis fato, cũ PRINCEPS Noster, suo prope funeri, integer animo, superesset. Tanta moderatio, nõ poscit equidem solatia. Faciamus tamen solatio fidem, eum doluisse. Lenimentum doloris, Ar-

bor ipſa Tibi ſit putata. Nôsti namq; Princeps, majore incremento, arbores amputari. Priùs tamẽ, in jugulum noſtrum, fata, ictum expediant; quàm, eorum ſecuri, liceat deinceps in Avitã PINVM. Quamvis in exemplũ poſita ſit, vix tamẽ tolerarem9 patientiã Tuam, nullumq; modũ doloris, haberet ſimilis moderatio. Potiùs detrimenta reparet GODZIEMBA, & ſuccreſcat in ſuperſtite ſtirpe, ab ipſo, ſumens opes, ferro. Quia verò jactura magna fuit; fas eſt, eam, grandibus votis reſarcire: etſi, quidquid votorum hauſeris, minùs ſit detrimento. Licebit igitur, integram fortunam, ILLVSTRISSIMÆ ex FRATRE NEPTI deſpondere, medio DZIALYNIORVM Annulo. Licebit, illis ipſis Aquilis, quas præfert, pro Illuſtriſſimo, Curiæ Regni VEXILLIFERO, involare in omnes honores, omneq; ſtudiũ, ſub hoc Labarum cogere: ut militet pro DAMBSCIIS, non alio ſtipendio, quã auctæ dignitatis. Licebit deniq; precari, ut, ſui ANTISTITIS veſtigiis hæreat, Vladislavienſis CANONICVS. Tantæ, Tuorum Luci, permitte Celſiſſime Princeps, Vmbras Tuorum adjici; Vmbræ ſunt, quæ ex Religioſis abditis, aptè Tuis ſplendoribus interveniunt. Educit de ſuo aliquid, in pompam Tuam, Societas, cumq; nihil

hil

hil illi neges, Tuū Tibi Sanguinē reddit. Præter multos, utrumq;, ne quid diſſiderent, ANDREAM DAMBSKI. Alter, in extremam ſenectutē, ætatē produxit; in alterius annis, Iuventus computabatur, & unà ſenectus mentis. Alter ſupremū diem obiit Torunii, Caliſſii alter. Atque ita; olī depoſitū Pignus, habuit Toruniū, Tuæ beneficentiæ. Alterius Spiritui, grave ſenectâ corpus, oneri non fuit. Alterius ſpiritus, mortalem ſarcinam, citò depoſuit. Germanus is erat Frater Tuus, Celſiſſime Princeps; & potes admittere in Pompæ Tuæ comitatum, quem abeuntem è terris, publica opinio ſanctitatis eſt proſecuta. Iam ille, cùm literis imbueret mentem, ſtuduiſſe viſus Fraternæ gloriæ, & ab hoc potiſſimùm ſtudio, dicemus, fuiſſe Scholaſticum Societatis. Intra ſexennium Vitæ Religioſæ, ætatem Virtutis explevit. Neq;, innocentiâ ſimiliorem habuit, KARNKOVIANVS AGNVS. Subit nunc vovere, ut in hæc uſq; tempora vixiſſet, certū utiq; argumentū, Tuæ in nos propenſionis. Sed ſuperfluit votum, cujus rem tenemus; dicerem, Te, in ſingulis amare Fratrem, niſi communem Parentē referre malles. Duceret in comitatu Tuo, plures, oratio; ſed ſuo jure & loco, ANTISTITI, CANONICUS præeat Cracovienſis LVCAS

 DAM-

DAMBSKI. Vt Tibi non desint propria, & illius meritis, adis Cathedrã, illius munificentiâ, centum millibus auctiorem. Locupletavit ille, animi opibus, AVGVSTVM VAVELLI COLLEGIVM, dotavit & censu. Neque tamen, profusa sui, exhausit se, beneficentia, quin multum, ex ea superesset. Dolebat, Eucharisticum Numen, nostris usibus, sed nostris minùs decore servari sumptibus; dolebat, cùm profani cibi, auro vel argento, esuriẽ acuant, pauperiùs Divinã instrui mensam. Ergo, per sexaginta Ecclesias, argenteâ Pyxide, Cælestis mensæ, instruxit Abacũ. Atque ut magnificentiùs circumferretur, quoties Eucharisticũ Numen inambularet, aut conspicuũ esse vellet, deno comparato in eos usus argenteo ferculo, (quamvis illius ævi esset, quo, aurei Sacerdotes, sacris, vilitatẽ abstulerant vasis,) Sacræ Supellectili induxit pretiũ. Pauca delibavimus, & quod in magna Domo fieri solet, multa, oculos effugerunt. Placet exordia redordiri; placet sequi, quò, Planta Domûs magnæ ducit, laudumque apicem superstruere moli, quâ, surrexit. Hîc verò, videre erit, Thebarum renovata prodigia, nec ad imbellis Cytharæ, sed tubarum concentum, sponte prosilire Arbores, novamque, surgenti Familiæ, materiem ministrare Domûs.

Sup-

SVPREMVM, PRÆSVLIS GENVS,
Omnes, complexum Familias, ceu species.
Vna Domus, Compendium POLONIÆ.
Contracta in illam, Patria,
nullo, Magnitudinis detrimento.
RADIVILII, POTOCCII TARNOVII, DZIAŁYNII,
Et, si quæ cætera, REIPVBLICÆ columina,
Columnarum Vices, in ea sustinent.
Surgentem vides?
Cùm surrexerit, vix capiet POLONIA.
Ex Planta, Ædificii Corpus, conjice.
Solis Regiam, delineari credes.
OPALENIOS, PRZYIEMSCIOS, CHLEVICCIOS, ŁVBINIOS,
Id est Magnitudinis Primæ, sidera complectitur.
Iam, Caput Familiæ GODZIEMBA,
Designaturus Domui Plantam, explantavit Arborem:
Extirpaturus hostem, pugnavit evulsâ Pinu
&, hostium stragi prælusit
Arboris excidio.

Thaumaturgus Heros!
Obviis quibusq;, chalybis naturam injecit.
Si famam æstimes, ditior Mida
Licèt, in ferrum mutaret, quidquid attigerat.
Disce:
Triumphalibus Viris, nullam nutare Arborem,
quæ non inclinet Lauream.
Quantùm tunc, castigatus animus, Moravi Militis,
Cùm, tantam Ferulam, expavisset.
Hæsit attonitus, prosiliente Arbore
despondit q; animum pugnare in eum,
Cui, ad subsidium venirent Sylvæ.
Vidisses, eâdem manu, insertam Cupressum,
quâ, non difficilis Pinus, evellitur.
Iam, immersum visceribus ferrum, vitam hosti abstulerat,
sed necdum, Victoriæ spem præciderat,
Tandem, Arbor una, totam peperit victoriam.
Quam, huic, comparaveris?
quæ, prope *Genti*, STIRPEM dedit?
Scimus: Homines commigrâsse, in Arbores;
Sed prodigiosius est,
Arborem, in Familiam crevisse.
Iactate Secula, Herculis Clavam, quid nisi muscas abegit?
GODZIEMBÆ Pinus, vel manu, prælata,
arcet hostes, fortitudinis prodigio.
Aurea, Mercurii, virga,
aniles, suscitavit fabulas, non Viros.
DAMBSCIA Pinus, victorem, Polonis inspirat animum.
Illustris Arbos.
per latè protensas, cæsorum hostium, umbras.
Nobile, Patriæ Armarium, & Trophæum,
Premislai Sylvæ, accensendum.
Silete Oratores.
Vocaliùs Dodonæo nemore, GODZIEMBAM loquitur sua Pinus.
Exinde: *Triumphalis Arbor, nullam Securim admittet,*
præter Senatoriam.

Vſum ejus, jam ab initio, vide:
Vna, Materiam dedit Domûs
DAMBSCIORVM & LVBRANSCIORVM;
ſuffecitq̃, & Plantæ & Faſtigio.
Vis noſſe, quàm ſublimi?
Divos attingit, Vtrumq; nimirum STANISLAVM.
Procera ſcilicet Arbor,
Quæ, *radices in terris egit,*
Verticem, Cælo intulit.

SEd annoſæ Arboris ævum, ad primam ætatem Tuã, revocare placet; effloreſcat primævo flore, in fructu numeratura honorum inſignia Et verò, quod adiiſſes Lyceũ, Palæſtra videri poterat Plantularum; in qua, Naturæ initiis par, excedebat reliquos Arbor Tua, documento Virtutis, in quales, ætatem tenerã, ſpes creſcere dignũ eſſet. Sic docilem animum, quaſi fæcundum ſolum attuliſti, ut, quidquid vel eruditio, vel Virtus inſereret, proventu utriuſq;, uberiùs proferres. Quin præverteres innatâ vi, quod rudibus annis, non reſponſurâ laboribus culturâ, inſeritur. Mirũ enimverò erat, Te, Iuventam excolente literis, ipſos Magiſtros didiciſſe ex Te, ingenii promptitudinẽ, ſimulq; commigrâſſe in Lyceum, Probitatis Magiſtrum, & Sapientiæ Alumnum. Imò antequam Oratorum conſcẽderes roſtra, Vultũ Tuum, in quædã, Virtuti roſtra adornâſti. Perorabat ex illo modeſtia, breviq; probatiſſimos per-

 ſua-

ſuadebat mores. Quid non ex Te diſcerent, quibus diſcendi ardor eſſet, præpropera Magiſtri nobilitas? Non mentem Tuam prævertebat ſermo, ſed ſequebatur, tanta fuit prudentia! in examinatiſſimos mores, nullũ erat ætatis, totũ Virtutis imperiũ, tanta gravitas! omnia, conſilio nõ adoleſcentiæ impetu gerebãtur; tanta moderatio! ut jam id etiam ætatis, Te SECVLORVM MVNVS ſponderet. Quia verò, quod cæteris uſuvenit plantis, ut tranſplantatæ, uberiùs proveniant; nec à Tua eſt alienum: Inſere peregrino ſolo, prænobilem ſtirpem. Videant omnes, evulſam è patrio, cujusvis eſſe patientẽ ſoli, ideoq; explantatam, ut omni Cælo, ſeri poſſit. Et jam Te peregrè ſequitur oratio, quò, rarus, ab eruditione & virtute comparatus, Te deducit comitatus, futurus idem redituro comes; ut à Te ipſo ne latum unguem recedas, longiùs à Patria divellendus. Futurũ enĩ eſt, ut Cælũ mutes, ſed ſicut ſidera ſolent, ubiq; ſparſa, at integra ſui. Interea verò dum peregrè moraris, non tam remotas petiiſſe terras, quàm omni ſub Cælo genitꝰ, videri poteras. Tu enim, in Orbis theatro, ſpectaculum; Tu ſolus, in foro frequentia; Tu in Appia triumphus. Quoties graviſſimum ſermonem, exterorum miſcebas colloquiis, deſiderabant ſub calen-

te

te etiã ſole, eos emicantes, excitati ingenii ignicu-
los, quos dediſſet Septemtrio. Non diffitebantur,
Te peregrino Cælo, nihil præter auram delibatã
debere, cæterùm, patrios ſpirare ſemper ſpiritus.
Hinc factum eſt, ut Illuſtriſſimi PARENTES
non diu in Tuo hæſerint vultu, an eundem re-
ferres qui Tibi ſimillimus rediiſti. Quid er-
go mirum, ſi reducem, Sacra è veſtigio exambive-
rint Subſellia; & quem, ſacraverat Virtus, certa-
tim Aræ poſcerent. Indixiſti certamen Infulis, o-
mniumq; fuit conſpiratio, in Caput Tuũ. Chel-
menſis Tiara tamen, rudimenta amplitudinis ex-
orſa, conſtabitq; illi laus ſua, prævertiſſe cæteras.
Et hoc quidem fuit Tyrocinium Dignitatũ, hoc
MICHAELIS, de Tua Virtute, judicium, an
præjudicium Infularum? quas, cæli deſtinatio pa-
rabat. Quemadmodum verò ad IOANNEM
Tertium, Regni Cura, ita & augendæ Dignita-
tis, tranſiit. Vt Tu, nunquam finem merendi fa-
ciebas; ita, alter Tibi ſerebatur ex altero Honor,
exceſſu tamen penes merita. Ergo, quia Te Vnũ
quaſi geminabant multiplicabantq; merita, plu-
res Vittæ ex intervallo, Luceorienſis, Płocenſis,
Cujavienſis, in Te congeſtæ; ſuccedentibus ſibi
Regibus, in ſtudium amplificandi Tuam dignita-
tem. Nec aliter Thronũ adiit AVGVSTVS II.

 quàm

quàm, per veſtigia cæterorũ; ut, etiam Tuo emineret faſtigio. Vide: quanta, PRINCIPVM de Te contentio; vide: quanta Tibi in REGVM judicia poteſtas, ut, eadem omniũ, ſortiri poſſis. Etſi cæteroqui perarduũ ſit, REGNANTIVM arbitria, in manu habere. Tu verò conſtanti Triũ MAIESTATVM favore, ac uno veluti judicio provectꝰ, palã feciſti, fuiſſe Tibi, in quod exhauriri ſe poſſent, quibus dignitatũ ſuffragia commiſſa ſunt. Accidebat quidẽ Tibi, ut, collatæ dignitatis, mox PRINCIPES pænituerit. Sed cauſa pænitendi, abſolvebat Te à reatu. Nimirum poſt quamcunq;, adhuc remunerationi obnoxia Virtus. Et ideo quod pænitentium eſt, emendandi præmia ſua, finem non faciebant. Accipiebant, qui jura dabant populo, ex Te ipſo, præmiorũ legem; ut pro modo meritorum, dignitatum non eſſet modus. Spectabant ambitũ de Te honorum; ſpectabant Caput Tuum velut Arenam & Aciem, in qua, certũ erat PRINCIPIBVS, ſtatim decernere pro maximo, ſed aleam inclinabat modeſtia in minores: & arbitræ MAIESTATES, ſic interim pro minoribus decernebant, ut, maximis, ſpem ex intervallo facerent. Certamen iſtud dignitatum, quaſi non de uno Vertice, hîc rurſus inducimus.

Nova,

NOva, bellorum facies.
Contendunt Infulæ, de CAPITE TVO, PRÆSVL.
Repando, tumultuantur Ore,
cui, priùs debearis.
Vna provocat aliam.
Ingenti, concurrunt agmine, hinc Fasces, inde Curules,
istæ, sibi, Te vendicant, illi eripiunt.
Specta Tiaras, quibus nondum, *Augustam Frontem* submisisti,
Te adhuc ambiunt:
quia verò non attigerunt, invidia fecit aliarum;
& confertissima multitudo, aditum præclusit.
Vndiq;, Te cingit Honor,
Totum coronant vittæ,
quasi Totus Caput esses.
Cumulatior videtur dignitas, quam non respuis:
ornas illam, dum recipis.
Scilicet: umbram se Virtutis agnoscit, Te, radium.
Palàm est Orbi, majore ambitu ad Te convolare Vittas,

 quam

quàm poſcuntur ab aliis.
Si dividi poſſes,
nec ſingula membra tot forent, quot Diœceſes, à quibus invitaris.
Itaq; , per vices, Te, ſibi porrigunt Infulæ,
ut plures habeant.
Magìs beata creditur, apud quàm, diutiùs commoraris.
Felix, quæ prima, verticem attigit,
ut reliquis, acceſſum impetraret.
Quodſi, MENS PRÆSVLEA cerneretur,
invitum Te traherent REGNA,
& omnibus, Vnus ſatis eſſes.
Ita, ſplendore Nominis, facem accendis prælii, an amoris?
Nec certamen hoc, incruentum dixerim,
ubi purpuræ, Tibi fundunt ſanguinem.
Tantam, Inſularum litem, quomodo diremit Roma?
Anima Eccleſiæ, Epiſcopus eſt,
ut animarum, ſic illius transmigratio non datur.
At, CELSISSIMVS PRINCEPS
Angelus Eccleſiæ, poteſt mutare locum.
Minora ſidera affiguntur Cælo,
CELSISSIMVS PRINCEPS, SOL,
Commune Aſtrum alligari nefas;
vacaret ſplendore, Pars Orbis, niſi, aliò trasferret lucem.
Ita de Te ſentit ROMA. Quid POLONIA?
Voluit, magnitudinem animi experiri.
HELMENSEM Tiaram obtulit. Hæc erat menſura Capitis.
Imparem advertit, majorem dedit, ſuperaddidit iterũ ampliorem.
Mutavit toties Infulas,
ut æqualem inveniret.
Numero compenſavit, quod, magnitudine, præſtare non poterat.
Sæpius Coronat, quia ſemel, totam cingere Frontem neſcit.
Nunc etiam, CRACOVIENSI TIARÆ, adjunxit MITRAM,
ut, *quam partem non præcingit illa, hæc exornet.*
Nec unum in Te Pontificem vidit, PATRIA,
Plures venerata, pluries inſignivit.
Scias: Te, omnium eſſe compendium.

Quæ-

Quælibet Tua Virtus, fasces meretur;
Si haberet quælibet, omnem implerent Senatum,
eminerent in Cathedris, fulgerent sub Infulis.
Intererat quoq; Felicitatis Publicæ,
ut, multis fulcires Patriam, Scipionibus;
Ipse, grande Fulcrum Columenq; Regni.
Attolle jam ternum verticem
PRÆSVLEE GODZIEMBA;
unum, Cracoviensi Tiarâ, alterum, Mitrâ coronamus:
qui superest, quid, tertius feret?
Respondebit ROMA.
CAPVT *est Orbis, æstimat merita;*
COR *est,* PRÆSVLEM *nostrum amat.*

SPectâsti de Te jurgia honorũ, non facilè componenda, quamdiu ea acuis Virtutum æmulatione. Iterum enim, earum, dissidium est, ut quælibet emineat, etsi eâdẽ mensurâ, iisdemq; numeris, id est omnibus, omnes æques. Tibi quidem inter hanc contentionẽ, ex singulis, æquale suffragium est, adhuc tamen ansa relinquitur dignitatibus, ut nulla aliam prævertat; nec alius componendi modus occurrit, quàm ut, simul omnes geras, cùm nullum facias discrimen meritorum. Prima tamen, meritum Tuum ad bilancem appendat, intemerata æquitas, & pondus Virtutis examinet, ita grave sceleri, cùm, pro Tribunali Regni sederes Iudex; ut oneri non esset Iustitiæ. Metum, eò loci incussisti nulli, præterquam improbitati, hoc semper præjudicio cau-

ſarum, ut, qui, Veritatis eſſet conſcius, ſecurus eſſet Tui. Quo fiebat, ut, formidabile forum etiam innocentiæ quoties potentiâ deſtituitur, omnem horrorem exueret Te Iudice, aſylumq; eſſet ſua cum fortuna luctantiū; non, inter ſpem & metum fluctuantis animi, tormentū. Diuturnis induciis non ſinebas litigantium exhauriri opes, nec moram concedebas, niſi quam, deliberatio poſceret. Sciebas enim, parum ab equuleo diſtare, longâ morâ ſuſpenſam exſpectationem, illud inſuper habere tormentis gravius, quòd lentiùs in patientiam deſæviat. Quodſi ſerum aliquid in feſtinata Iuſtitia deprehendere fuit, illud erat, quòd nox concubia cæcusq; veſper, Te in expediendis negotiis viderit aſſiduum, nec ſoporem aliter admiſeris, quàm conſopitis litibus, ſuaviùs conciliatum. Quem æquitas deſtitueret, nequidquam patrocinium à dignitate & genere quærebat. Tenacem enim recti, non favor, ſed cauſæ pondus flectebat. Firmum proinde erat omnibus, ſequi, quò, decernendo præiviſſes. Omnes, veluti à Themidis Antiſtite dimanâſſent oracula, excipiebant; ſua Tuis arbitria conformabant; ſatisq; fuit, ut in partē concederent, in quam flexiſſes, ex præjudicio illibatæ æquitatis. Quid ſupererat incorruptæ Iuſtitiæ, niſi

ut Te

ut Te Infulis adjudicaret, & redderet quod Tuum erat? atq; sic per plures incederes dignitates, quem, irrequieta ſtudia, nec ſinebant ſubſiſtere uno meritorum gradu, nec faſtigio hærere uno. Iuvat, in hoc Virtutum Tuarum diſſidio, an veriùs pro Te contendentium conſpiratione, non ignotũ explicare, ſub Aquilis, Patriæ tuendæ ſtudium. Credebas, non ſatìs te memorẽ Originis, niſi Ducem dediſſes in PRÆSVLE. Fecerit ſanè aliquando armorum jacturam GODZIEMBA, Tu, amiſſa ſuffeciſti, factumq; eſt, ne quisquam credat, poſſe deficere GODZIEMBÆ, quæ ita ſubſtituis. Nam, cùm cataphractum militem, Tuis animares impendiis, quid agere viſus es, niſi ut GODZIEMBA inHærede arma nõ deſideraret; quodſi quis chalybis defectui accenſet, ſubſtitutam ferro, Pinum, mucronis jacturam reſarcires armatâ Cohorte. Non eſt hæc aliena à Sacrorum tranquillitate, laus quam teximus. Cauſæ in promptu occurrunt, cur inter lituos, Te celebret Oratio; nec profanum ſit, Sacrorum Antiſtitem, miſcere agminibus, inſerere cohorti, quæ, Tuam ſe eſſe diſtinguebat à cæteris, magnis auſibus. Sic nempe, ad ſumma Tibi ſternimus etiam ferro viam, atq; omnibus, Te, Aris admovet, profuſꝰ hoſtium ſanguis. Pa-

làm

làm facimus, quo jure, plures ex intervallo gesſeris Infulas, qui toties litares Patriæ. Documenta deniq; damus, non Isthmica tantùm certamina, Pinu coronata; nobis quoq; victoriæ ſertum ex Pinu necti; nec ſolum Æſculapium, dicatam ſibi Pinum ſalutis omen præferre, verùm & GODZIEMBAM, quoties laboranti Patriæ, præſenti remedio opus eſſet. Et ita quidem in Patriæ munimen, militem, ſed in Fidei præſidium, Virtutibus, pectus armâſti; potes, tali præſidio tutus, ipſis Te arcibus perfidiæ credere. Appello inhabitatum Toruniũ, & conſuetudine Tuâ, ad Orthodoxas leges, magìs compoſitũ. Ibi placuit emolumento Religionis morari longiùs, ſimulq; Tuo incolatu laxare anguſtias, ſtrictè incolentis Vrbem, Fidei. Grande ſanè argumentum credibilitatis, avitæ Fidei dabat, ſpectata morum Probitas; qui doceri nolebant ex PETRI Cathedra, non inviti Tuis erudiebantur Virtutibus. Hæc erat Torunenſium, ab illis ipſis non animadverſa felicitas, quòd inſinuanti ſeſe Fidei, unà cum Pontifice, Hoſpitium Ædesqué conceſſiſſent. Hæc erat, ſine alienæ præjudicio, Tuæ, ſpatiis non definitæ Virtutis, Authoritas, ut, quos, Iuriſdictio Tibi non feciſſet obnoxios, iiſdem tamen, jus dicere poſſes, ex poteſta-

te

te Probitatis. Exemplis jubebas, non legibus. Hoc enim jure, omnia Tua ſunt, nec extra Tuam cenſetur ditionem, quocunq; ſe porrigere poteſt ſpectabilis Virtus. Sed non deerant, qui, potiori nomine, ſub Tua venirent jura, Diſſidentes. Accedebat integra POMERANIA & Emporium PRVSSIÆ, Gedanum. Ibi præjudicio ſuo, hæreſis, Te Iudice litigabat; quoties nempe Iudicium Tuum appellaret, adhuc tamen à Capite divelli, ei liberet. Tu verò, etſi nihil inſolens, Te Pontifice, liceret Sectariis, reæ tamen perfidiæ concedebas, ut, ex Te, de omnibus ferret ſententiam. In conjecturã enim, quantos haberemus Antiſtites, Integerrime Præſul patebas, cùm extra æquitatis diſcrimen, in Tuo, hoſtes etiam agerent Tribunali; niſi quoties anticipatò, ſeipſam condemnâſſet protervia. Cæterum, quia ſanctiſſima dimanabant decreta, nec livori patebant ad convitium. Et tunc, avulſa ab Orthodoxo Capite membra, ſentiebãt damna ſua, quòd non venirent in reliquum felicitatis noſtræ conſortium, quam, in æquiſſimo Iudice prælibarent. Sileamné hîc Mennonis labem, à Te detectam, & tantùm non abolitam? Nam quædam ut primùm conſpecta ſunt, diſparuêre. Infudit ſe Gedano, fæda Mennonis colluvies, da-

mnosior, quòd tectior: potuit, fucum personatæ pietatis facere; sed larvâ detractâ, suo eam vultu conspici jussisti. Excussisti sectæ latebras, patuitqué Te investigatore, quàm diversa in recessu conderet, & alia omnia, fronte præferret. Periculosissimas ex abdito, Religionis insidias præcavisti; cùm verò superficies oculis imponeret, fūdum es scrutatus. Non ignarus, nullum morbi genus gravius esse, quàm quod ad remedia latet, ipsas, mali fibras pervestigâsti. Quamvis autē personam tantùm vitiis eripere, videri poteras; tamē illud insuper actum, ut pateret, an profugū Regno Arrium, Menno non occuleret. Itaq; ad Professionem Fidei adegisti, ipsumq; lustralem Mennonis fontē repurgâsti, investigando, an non inquinaret in Fidei probrum, quos lavaret. Præivit deinde Tua sententia Romanæ, lustrali Mennonis aquâ, non adspergi labem Arrii, sed quamvis cæteroqui exerrantem sectam, in limine tamen Christianitatis cum Arrio non impingere. Sic actum est, ut dubium eximeres, an non satis Christianos haberet Prussia. Hactenus contendisti, ut, nullibi in Regno lateret perfidia ad exitium, ubiq; pateret ad cautelam. Iam in ipsa Regia sua, expugnanda est triumphans hæresis; quam, latebris hîc eruisti, alibi exultantem

ster-

sternas, suo dejicias fastigio, ex quo despicit veritatem, & ubi nata est, elidas. Hoc animo, in arcem penetrasti hæreseos, SAXONIAM. Hîc, convellendi erunt, novellæ religionis cardines, quib9 in reliquum Orbem evolvitur; hîc, errorum torrens cohibendꝰ, nimirum in fonte, a quo dimanavit; hîc, pro nomine suo, durior Provincia emolliendа, ut facilis sit flecti ad nutum Pietatis. Istud quidem, ut sociato itinere, sic communicato consilio, Tu, cum AVGVSTO agebas. Ille, agnitæ veritatis luce Serenissimus, diuturnam errorum noctem eliminabat. Ille, cui se subtraxit potissimum Columen, jam sponte labantem, exemplis è vicino in ruinam impellebat perfidiam. Ille, modicam à Regño absentiam, reditu multorũ ad Ecclesiam, pensare nitebatur. Sed Tu, in partem omnium veniebas, nec sine Te, aut Thronum adibat, aut Principatum. Prosecuta est, iter hoc, ROMA, luculentâ approbatione; ivit in laudes, cùm Eam, SAXONIÆ inveheres, atq;, pro felici exitu, tã ardentia fudit vota, quàm in voto habuit, ut, post diuturnum exilium, SAXONIAM reviseret. Quis referat, in BREVI suo, gaudio & desiderio effusã? Silere impunè possum9, vulgato de Te ORACVLO, quo in SECVLORVM MVNVS trãscriberis. Est tamẽ quod in BREVI

 Pon-

PONTIFICIO, diducat oratio, ſed quãtumcũq; ſe diffuderit, poſt omnia neceſſe habet, ut in illud, ſe compingat. Conſcium lætitiæ ſuæ, appello VATICANVM: quid, cùm Regia profectio adornaretur, jucundiſſimum optatiſſimumq; nunciari potuerit? quòd itineris ac moræ Comitem Te, MAIESTAS adſciviſſet. Perſpicacẽ, CAPITIS Eccleſiæ intuitũ conſulo: quẽ, è Specula ſua viderit, honeſtè utiliterq; atq; è dignitate, Lateri hærere poſſe PRINCIPIS? Tu Solus in palpebrã incurriſti. Providentiam LATII compello: quo umbone, PRINCIPEM, inter callida hæreticorũ conſilia verſaturum, vellet protectum? inaſpectabili Manui, quæ, corda Regum flectit, quam Sociam Manum additã? præſenti NVMINI, quod, POLONIÆ REGIS curã ſingularẽ ſe gerere, evidentiſſimis comprobavit exemplis; quod aſpectabile veluti NUMEN, vellet ſubſtitutum? Vnus eras, quẽ, ambiret INNOCENTIVS, PRINCIPI, monitis ſaluberrimis præſtò eſſe. Et quidẽ tantâ fiduciâ, ut, non alia Tibi incitamẽta ſuggereret, quàm ex Te petita, & Teipſum. Iam enim, vix extra Te reperias, quo, Te perurgere, & ad quod, Te dirigere poſſis. Dexteritatis Tuæ & Prudentiæ ſpecimen, dabant ante Acta, rerumqué uſu exercita Mens, fiduciam faciebat, ut, quæ

ge-

gerenda ſuſcepiſſes, eventus non deſtitueret. Ideo, nec documentis egere Prudentiam & Dexteritatem, quibus utiq; Virtutibus præſtares: nec Pietatem Tuam cohortatione, nec Amorem erga REGEM, incitamento: luculento ad poſteros teſtimonio, vulgavit ROMA; cui nec adjicere, nec demere apicem, licet. Cui verò documenta deerant, quid niſi opportunitatem, de Religione Orthodoxa bene merendi, cælitus oblatam gratularetur? Quid niſi ſuam anxietatem propagandæ Fidei, veluti in ſinum Tuum deponeret? non utiq; magìs ſecurè, quàm cùm ad eum, ſe recepiſſet. Quid niſi ſuæ ſolicitudinis, Te in partem vocaret; in ſuppetiasq; ſuas, Vicaria etiam DEI poteſtas, Te Adjutorem accerſeret? illâ comprecatione, Te comitata, ut incrementum acciperent, quæ horrido ſolo & inculto plantares, affuſisq; ſudoribus rigares. Ex Te ſumens apprecationis materiem; conſcia utiq;, Te, plantare poſſe, cùm ab Origine usq; Tua, ſcires evellere. Et hoc eſt, a prolixis laudibus, vix retinens Nominis ſui, BREVE. Totum planè reddidim9, nam Oracula continet, quibus ſi quid addas, corrumpis. Integram autem Tibi conſtare laudem, cùm maximè ſatagimus, verba adduximus, quæ, Mentem Senſumq; NVMINIS inter-

 pre-

pretantur. Quia verò Oracula erant, extra dubium est, quòd prædixerint. Testamur Tuam præsentis in SAXONIA contentionem, Tuum absentis etiam studium, ut publico donaretur, in privatum abstrusa Catholica Religio. Institisti acerrimè, pristinos illius cultus introducere, atque malè coërcitam, laxare integerrimæ Fidei libertatem. Et credimus futurum, ut per Tua vestigia, relegat aliquando SAXONIAM prisca Fides. Quamvis enim, non tam suæ Gentis indole, quàm genio inveteratæ perfidiæ, contumax sit; tamen non potuit non admittere vestigium, quod signaret semitam Veritati, quâ, diu exul, postliminio redeat. Interea satis actum credimus, sementem jactam rediturae ad frugem Gentis; & à nauseante avitam Religionem, prælibatam in Te Pietatem, spe non modicâ futurum, ut Tuâ consuetudine inescata, nec Hamum PETRI dedignetur. Sic, quocunque Te infers, aut ponè sequitur Orthodoxa Fides, aut spem deducis, è vestigio subituræ. Patere: ut nobilitatum hoc fidei progressu iter, velut in tabula, Circinus describat; atque ampliandos olim Religionis fines, ex magnitudine in id contendentis Animi, metiamur.

Intra

INtrà recti cancellos, ſe continens animus,
Bono Religionis, exceſſit limites.
Errorum, depulſurus tenebras,
Serenitatem reducis in Saxoniam.
SOLEM REGNI, MERCVRIVS,
CORONATVM VERTICEM, MENS LECHIÆ.
VELLVS AVREVM, PASTOR ſequeris VIGILANTISSIME
Quàm numeroſo Comitatu?
Virtutes omnes deducebant euntem,
totaq; Religionis Colonia.
Ivêre, comites: Dexteritas, Prudentia, Fortitudo.
Quantum ducebas Vnus ſatellitium!
ROMA Te proſecuta, luculentâ commendatione:
ut Tecum penetraret in *Saxoniam*,
arctavit ſe totam, in BREVE.
Quamdiu memoria poſterorum, iter releget,
dicet: Te PRINCIPIS fuiſſe COMITEM,
ſed honorificè, PONTIFICIA MANV, deductum.

Cùm verò habueris Orbem in comitatu,
sola, Te prævolavit fama;
ut, priusquam intrares, impleveris Saxoniam.
Poteras videri, non peregrè venire:
Cujus NOMEN, EVROPAM incolit.
Sic peregrinatur Titan.
dum lustrat Orbem, ut illustret,
seipso, unam Cæli partem,
radiis implet Vniversum.
Patuit Magno Hospiti, *Saxonia*,
sensu, humanissimæ civilitatis, emollita.
Adhuc, Vultu tantùm sacrabas,
ritu profano execratas ædes,
et doluit perfidia, se in nido suo quæri.
Si quæ deinceps Aræ, sacris collucebunt ignibus;
splendorem referent in Ceras DAMBSCIORVM.
Si, post evulsas, pravi dogmatis, fibras,
plantata reflorescet Religio;
facilè erit conjicere, quis inseverit?
Nempe: cui Planta est ad Manum.
Iam, quid plausus memorem, heterodoxi etiam *Principatûs*,
quem, concentus Virtutum, magis quàm Cithara Amphionis, commovit?
Accurrit confertissima multitudo, &, majorem famâ, vidit.
Pererebuerat: REGVM INAVGVRATOREM, adventare:
fieriq; se posse, si vellent, Te inaugurante, Reges Cæli.
Hîc, ipsius Fidei testimonium perhibeo:
quò, illam velles extensam?
Nimirum: ad limites antiquos Poloniæ.
Iter certè hoc suscepisti,
ut, exerrantes, in viam reduceres.
Non placuit ire; nisi, quò pervenisses
liberum fecisses Religioni passum.
Cùm nullum non movisses lapidem pro avita Fide;
tandem, Saxoniam commovisti.
Non uno lapide, distabat à Cælo,
cæpisti eam admovere:

Sco-

Scopulus erat Veritatis;
sed creditur innoxia fore, Cymbæ PETRI.
Vbi Plantam fixisses;
dilatantis se Ecclesiæ, Plantam designabas.
Quà Pedem promovebas, ampliabas Orbem.
Imò optâsses, Ecclesiam, latiùs Orbe patere.

ET adhuc, quem, ardor animi, per invia pridem ac inaccessa Religioni, circumtulit; Sedes CRACIA non excepisset? Non trito calle, ad id fastigium contendis, imò pene inobservato. Consectaris unicè, Fidei emolumenta; & pari passu adis præmia. Alibi, pedum Vestigia ponis; aliò, Virtutes Te deducunt. Pietatis ardor, Te, prope Patriâ extorrem fecit, sed in faciles pronosq; Tuæ TIARÆ, singulorum animos, immigrâsti. LATIVM autem in-primis, tam contrario itinere tenuisti; nimirum aditâ SAXONIA. Non erat quod ambitu eò procurreres: securus eras, ROMAM, manibus pedibusq; in sententiam REGIS, Tuæq; dignitatis annutum, ituram; quæ tot votis, REGEM REGISQVE COMITEM, esset prosecuta. Penè Tibi adfuit, penè abeuntis inhæsit vestigiis, & à Tua dignitate, animo discessisset? Dedit quasi stipulatam manum, quod, Tuæ nuncupationi vellet subscriptum; eam ipsam, quâ, laudes abeuntis decurrit. An enim, mentem suam re-

vocaret, moramq; honori Tuo injiceret, quæ, eodem laudum ſtimulo, ſimul in iter perurgebat, ſimul magnis paſſibus ad novum Culmen admovebat. Quidquid alii operirentur Expeditionem, noſtrâ opinione, ejus vices ſubibat, quam Tu cum PRINCIPE feciſſes, Religionis causâ. Quidquid alii metuerent ſaltem protelationem, nos certè metu diuturnæ exſpectationis liberabat, Pontificium BREVE. Hoc erat, eritq; deinceps, Tuarum Infularum Præſcriptio. Sed præjudicium Vittæ, ferebas quoq; ab AVGVSTI judicio. Nemo Te ad illius ſuffragium prævertere potuit, quem, Tua præoccupaſſent merita: & hoc ſatis erat, ut nemo crederet non Tuam fore, quæ conferentis eſſet, dignitatem. Hoc ſolo faſtigio, quod Tibi acceſſiſſet, creſcere potuit, qui rerum humanarum apicem exceſſit. Mutua Tecum habet honoris auctaria, ſuæ dignitatis reputat diſpendium, quã non attingis. Ergo, qui ROMAM noſſet ornandi REGIS ſtudioſiſſimã, ambigere poſſet de Tua, hoc eſt Regiæ MAIESTATIS appendice? Certè, latè imperantem inaugurâſti AVGVSTVM, qui, Orbem in arbitria ſua flectere poſſit. Egiſti, ut ille quidem Eccleſiæ Capiti acclinis eſſet, judicio tamen ejus in diſpertien-

tiendis honoribus; Caput ipſum faveat. Vnde jam, dignitatis Tuæ, non habeas ſuffragium? Quid non iret in vota Tua, Sacer Vavelli Senatꝰ, qui, vota præverteras? Ambigua Tibi Sors prodire non poterat, de qua, ipſe arbiter ſtatueras. Repudiari non metuebat, quæ inter Candidatos, Sanctitas numerabatur. Inaſpectabili manu, calculum adjecit, qui, intererat præſenti beneficio, Sacri Senatûs quondam decus, LVCAS DAMBSKI. Et valuit recordatio beneficii, in pretiũ Principis. Ergo, antequã iretur in ſententias, placuit occurrere Principi, & nuntiare, quid cæteri in Te augendo egiſſent; cùm Tu, alia omnia, præter dignitatis Tuæ curam, ageres. Sic planè, veteris ævi morem, quo, peregrè poſcebantur ad Infulas Capita, Tecum revexiſti. Cùm enim LATIVM, ſex dediſſet Pontifices, tres GALLIA, dedit Te SAXONIA; tantò inuſitatiùs, quòd crederetur exilium eſſe Antiſtitum. Et verò, poteras, ubicunq; degeres, ſecurus eſſe Tui honoris; cùm reliquiſſes domi, vadimonium Virtutis. Iam & cæteri, eligendi jus vendicârunt, quotquot ſperabant conſortium Tuæ felicitatis. Nemo autem non ſperabat; conſcius, quòd ex Tua dignitate, minimùm Tibi uſurpares, totũ, publicæ utilitati, ex mentis Tuæ tabulis, ceſ-

fiſſes. Hinc Te, avidiùs quàm Solem, proſpectare omnes, ſub ipſa, laborantis Aſtri deliquia. Iuvat enimverò, ut iterum, quæ, ſplendoribus intervenerat Tuis, Cæli caligo ſe infundat. Quòd orbitatem noſtram, mundi oculus videre nollet, uno lumine, luſca dies, prope cæcutiebat; & cũ lugubri funeris pompæ, facem ſuam ſubtraxiſſet Cælum, ut tamẽ parentare crederetur, pullã induit. Ea tunc fuit Vniverſi facies, quæ, noſtra; cùm nos, animus planè linqueret, deliquium, nõ poterant non pati Sidera. Acceſſerat ad mala noſtra, quòd in ea caligine, infauſta plerumqué omina deficientis Sideris, obverſarentur oculis. Inſpiciebat penitiꝰ, ereptâ luce, in fatorum abdita, vulgus; & caliginem ipſam ſcrutabatur. Qui tamen noſſent, nihil eſſe ominoſum Tuæ felicitati; exiſtimabant, quòd colligeret ſe mundi oculus, ut in emendatiorem aciem incurreres; nec detrimenta ſplendoris putabant, quæ, novæ exortu lucis reparares. Et verò ſerenâſti omnia: per tenebras, lux animorũ ſe intendit; atq; Seculis exſpectatũ fulgorẽ, facilè Secularis caligo evolvit. Advertis Princeps Celſiſſime, non difficile eſſe, omnia in omen honoris trahere. Non tamen diſſimulamus, quo ipſe Tibi viſus es obſiſtere. Cùm multis nominibus Tuam feciſſes, uno Nomine,

mine, eoq; Tuo, CRACIAM, à Te removebas Tiaram. Cùm multa haud arduè expedivisses, difficultas recidit in quæstionem de Nomine. Inter impedimenta felicitatis Tuæ numerabatur, quòd esses Secundus. Dignus equidem visus es, qui cæteros prævertisses Pontifices; quòd, nulli esses secundus: sed secuturus non credebaris; quòd esses Secundus à STANISLAO. Eratq; longi temporis præscriptio. Ætatũ ferebat præjudiciũ, vulgata opinio, usq; adeò: ut, aut de Te, aut de Fide oraculorum, propè esset ambigendum. Sed constat sibi, si quæ est Superûm inviolabilis lex. Non est numerus Nominum, ubi nec discrimen rerum; unitatis non facit dispendium, quem, gemina Virtus, non exhibet Secundum. Multùm Sanguinis ex Martyre, plus traxisti Virtutum Celsissimè PRINCEPS; ideò STANISLAVM non geminas sed refers eundem. Cum se Sol ipse, luce pingit suâ radioqué notat, num oculorum ludibria, mens non corrigit? Num, similîs imagine lucîs additum credit unitati numerum? Nec aliud est potiùs, quod errorem eximat, ut non credamus Te Secundum à STANISLAO; qui, alium Te, videret, in Sole utiq; caligaret.

NEmo, integrum, POLONIS exhibuit STANISLAVM:
nemo depinxit totum,
Sol hic, major est suâ imagine.
Cælestem Virum, frustra celo sculpimus,
et immortalem spiritum, simulacri vulneribus, animamus.
Nullus adumbrat color, minimè fucatam Virtutem.
Corporis lineamenta transumimus, non animi,
quem, si peritè redderet penicillus;
nihil pulchriùs videret Orbis.
PRÆSVLI Nostro,
Totum se impressit DIVVS PONTIFEX;
nec tam cælestes Vultus signavit in ore;
quàm, inspiravit Mentem,
Cognatum infudit Sanguinem,
ut, omnibus venis hauriret STANISLAVM.
Ita se pingit, ipse, sui Apelles, Phæbus,
dum format Parelia.
Geminum putares, unicus est;
Similis, geminatus imagine lucis.

No-

Novam Translationem celebrabis deinde, Regia Craci,
ex Arce, transtulit se STANISLAVS, *in* AGNOMINEM.
Mavult cingi, Ducalium Virtutum Coronâ;
quàm, Regum, excubantibus Mausolæis.
Gloriosiùs, aureo quiescet pectore, quàm in argento.
Nam: Cinerem collegit quidem Vrna;
at, ILLVSTRISSIMVS ANTISTES, *splendorem Sanctitatis.*
Tumulatur ibi, hîc superstes manet,
iterumq; conscendit Cathedram.
Non putes, alterum venire STANISLAVM, *idem est.*
Quidquid, oculi judicent,
sagacior mens, discrimina non advertit.
Latuisse in PRÆSVLE nostro, STANISLAVM,
argumentum erit; cùm palàm spectabitur.
Dicemus brevi: *nisi defunctus munere suo fuisset,*
sic functurus erat STANISLAVS.
Redivivum eum exhibent,
Consanguinea Pontifici, Fortitudo, Liberalitas, Iustitia,
& Divinis planè dotibus juncta Humanitas.
Credite POLONI:
si, de Cælo, STANISLAVS *ferret suffragium,*
Hunc destinaturus erat.
Quodsi eum, intervalla temporum, non divisissent:
dignitate proximum habuisset.
Sed, dispersa per agros, Martyris Membra,
serò dant messem INFVLARVM
Ex illa semente, enascitur geminatus & idem STANISLAVS,
ut palàm sit: Secula parere PONTIFICEM.
Applaude integritati Tuæ, POLONIA:
dissecto PRÆSVLE, in partes abiisti divisa,
sed simul Sacris Artubus, simul Provinciis integritas rediit,
quasi, unius membris, Magnum coalesceret Reipublicæ Corpus.
Mens adhuc STANISLAI, *deerat;*
Hanc secum attulit, CELSISSIMVS ANTISTES.

NOn Te discernit oratio à STANISLAO. Et meritò: quid enim dividat, quem, imitatio non discriminat? Quamvis autem, undiq; STANISLAVM referas, hoc tamen Tibi, illiqué prope geminum, ut ille quidem suum membratim cæsum, Tu, divisum redintegres REIPVBLICÆ CORPVS. Hîc remediorum meminisse, volupe esset; nisi, morborum acerbitas, per ipsam remediorũ recordationẽ, sese insinuaret. Et hoc est, cur inviti quodam-modo, etiam medendi peritiam laudamus, quòd, dum vulnera retractantur, sensus acerbior recrudescat. Quantâ solertiâ res egebat, ut, Partium studia, pax & tranquillitas componeret; tantâ quoq; opus, ut innoxiè, referantur. Hoc agendum in laudibus Tuis, ne quis, dissidia, probro verti ducat. Et id quidẽ tã declinat panegyris, quàm studium declinandi profitetur. Tu etiam Celsissime PRINCEPS, pacatæ REIPVBLICÆ gloriâ, usq; adeo præstas, ut, nemo se illâ lacessiri, irritariq; credat. Dicere igitur licet inoffensè: postquam, nulla jam superest contentio, nisi de Tuis laudibus. Adhuc æquali Partium studio, REGNI Fortuna nutabat, Tu Grandè Momentum accessisti, sensitq; pondus, quò inclinares. Vni Tibi, credita cæterorum arbitria, e-

tiam

tiam negata; jamq; nemo eſt, qui credat, aliquid, citra votum ſuum, eveniſſe: quod actum videt ex Tuo. Cùm enim quiſq;, optimũ, REGNO deſtinaret, talem, ex Mentis Tuæ idea, dediſti. Quid vellent, aſſecutus es, non quid contendere viderentur. Ægriùs ferrent nunc, ſi olim annuiſſes. Iam, nihil non ex animi ſui ſenſu, actũ credunt, quod geſtum ex utilitate experiuntur. Hîc Te iterum, ad ſolicitas curas redintegrandæ PATRIÆ revocam9. Habet id ſingulare, qui cæteros diſtraxit, contendentiũ pro PRINCIPE ambitus, ut Te totum, in Patriæ ſtudia collegerit. Quemadmodum teneriùs ſentiebas ejus ægritudines, ita proſpectum remediis ibas; contentioſiùs. Quanto exerceretur periculo, ex Tuo Vultu legebatur; quantâ rurſus ſalutis ſpes affulgeret, ex cura remediorum deprehendebatur. Ex Animi Tui dolore potiſſimùm noſcebatur, quantum vulnus, integritas, illâ ſeceſſione accepiſſet: & iterũ, ex Tua conjiciebatur prudentia, quâ manu, blandè tractandum eſſet, cujus, etiam perſanati, non exſtaret cicatrix. Suſcepiſti ſalutem PATRIÆ redintegrandam, et REGNO toto, malè exercita tranquillitas, recepit ſe in pectus Tuum, quò, ſuſceptum ex PATRIÆ calamitatibus vulnus, viam aperuit. Quid eâ RE-

IPVBLICÆ tempestate actum credes PRINCEPS Celsissime? Nullus abnuet, illam Tibi comparatam laudem; quam Navarcho, nō Ethesiis compositum æquor, sed fluctibus exaspera- tum, parit. Sic & Medicum, ad confinia mortis, accedens morbus commendat. Nec perito artis, aliud est potius votum, quàm ut, vis mali, remediorum, prope vim superet. Et id solùm elicimus emolumenti ex dissidiis nostris, quòd, difficultate componēdi, industriā exaggerent Tuam, quâ sunt sopita. Hoc sperare potuit; quisquis conciliatrices animorum, artes Tuas calleret. Nam quidquid illud fuerit, quod in diversa attraxit alios; Tu, magnetis ingenio, Polum sequebaris, inclinabasq;, quò Astra præmonstrarent. In suffragium vocabas non privatam spem, nec cum Tuis commodis, (malis utiq; consultoribus,) sed cum Cælo, Tibi consilium fuit. Ad Mentem etiam Tuam, id-est Opificem PRINCIPVM Ideam, recurrebas. Et meritò: cùm Iudicium Tuum, sit Mens populorum, arbitriiqué Tui, vis illa sit, quam, in pari concertantium rationum æquilibrio, obtinet potestas voluntatis, quò libuerit, flectentis. Illud verò ante omnia, Tibi commisit felicior sors, ut, eligendi inter Electos, faceret optionem. REGEM ergo inaugu-

râsti

râſti, qualem, omnes, animo præconcepiſſent, etſi ſuis deſideriis, ipſi, obniti viderentur. Manifeſtior Tibi erat eorum animus, quàm præferrent; communisq; ſuffragii vim, obtinuit Tuum, quod, firmum ratumq; eſſe, placuit. Sic inter Scyllam & Charybdem navigantibus, opus erat Vlyſſe; qui, malè ominoſa Promontoria, primus prætergreſſus, fluctuantem REIPVBLICÆ Navim, ſecurâ ſtatione figeret. Vide PRINCEPS Celſiſſime, quàm, diſcordiæ labes emaculas. Nemo, non ſuum agnoſcit in Tuo, judicium, nemo non approbat. eodem inaugurandi officio, & Principis Merita, & Populorum vota coronas. Præmonſtrâſti, quē omnes ſequerentur; & tamē eâ ipsâ in re, ſecutus es omniū ſenſum, ſoli neceſſitati obluctatus. Iam enim communis Populorum vox eſt: cùm, Soliū iterū ambiret, quæ Regno quondam exceſſerat RIXA; expediviſſe, (ne diſſidiis locū daret,) non diu vacuū REGE eſſe Soliū. Nihil itaq; opportuniꝰ ad publicā tranquillitatē fieri potuit; quā, ut diſtractū votis Diadema, per plura nō circumferretur Capita, ſed in emeritū, ſemel incumberet. Sic penes Te, gloria nō ſciſſæ Purpuræ; cohærensq; ſibi Polonꝰ Orbis, qualē Icon exhibet, ſed magìs Secula referent; in Tuo, id-eſt SECVLORVM MVNERE cenſebitur.

ILlustrisſimæ DAMBSCIORVM STIRPI, nihil deerat præter Diadema.
Infulas, Mitram, Laureas, pridem recenſet.
Tantùm non erant Reges.
Dextera tenuit Scipiones, Themidis Lancem, Clavas,
Sceptra necdum habuit.
Noluit ampliùs invidere PATRIA:
Obtulit diadema.
Quia verò, imponere Fronti Pontificiæ non auſa;
manibus conceſſit.
Ita: *præclarè geſta Coronavit.*
CAPVT deinde ſubmiſit DAMBSCIO, AVGVSTVS;
& poteſt gloriari, fuiſſe infra ſe, MAIESTATEM.
Imò fecit, ut, Auguſtior emineret Majeſtas.
Poſuit genu, DVX SAXONIÆ,
REX POLONIARVM *ſurrexit.*
Coronavit Auguſtam PRINCIPIS Frontem;
eâdemq; operâ, Sua Merita.
Regalibus Vittis, Illi, Tempora;
Sibi, Æternitatem famæ, illigavit.

Dum

Dum Inaugurantem, Corona Populi circumsisteret;
Gemma Sacerdotum, fuerat PRÆSVL.
Quid? Gemma? ipse, Corona.
Pulchrum habet Diadema, Caput,
tot unionibus distinctum,
quot curis boni publici, compunctum.
Equidem, omnè pretium excedit Vnio,
quâ, Rempublicam ornavit, dum REGI conjunxit.
Steterat in armis, POLONIA;
quasi, judice ferro decernendum esset,
aut chalybe sculpendum Diadema.
Dixisses: armatis, Civium sententiis,
Martem, post laureas, posci ad Coronam.
Aperto Campo consultabant Provinciæ;
Cælo teste, ac veluti Suffragium ferente Numine.
Impleverunt Electoralem Campum, Manipuli;
Serenissimi, omen, AVGVSTI.
Medias tamen inter Acies, an Deorum Consessum,
Regale pomum, intulit Discordia.
Mox, decumanam effudit tempestatem,
ingens, Populorum confluxus.
Sed, contra implicatiorem Gordio, nodum,
Geminos, AVGVSTI Gladios, exhibuit PRINCEPS Noster.
Fuitq;, etiam hîc, certaminis diremptor Gladius.
Quid credas, scissæ tunc Reipublicæ, defuisse ad integritatem?
Planè quod deerat redintegrando STANISLAO;
nimirum: *Digitus* STANISLAI;
qui, & Digitus DEI, esset,
&, laborantibus, ipsâ copiâ Competitorum,
PRINCIPEM indicaret.
Fuitq; facilè præmonstrare,
indicio MAIORVM, ac Meritorum.
Monebat: ne quid mali revererentur,
quos, *mali metu*, BONIFACIVS *absolveret*,
Cognatus AVGVSTO, *Russiæ Martyr.*
Vix, Ei posse negari Purpuram,

 Cui

Cui, domesticus murex, eam imbuisset.
Adjiciebat: quod, per alienas frontes ivisset,
CognatoCapite, hærere posse Diadema.
Post vocabulum Regni, quod Ottho III. contulit,
posse AVGVSTVM, Regni titulos explere.
Quidquid deinde, AVDAX adversitas, in oppositum contenderet;
experta est STANISLAVM,
Animi constantiâ, non dissimilem.
Vno tamen discrepavit.
Nam primus, in pænam cædis, Poloniam scidit;
et, quasi Pontificio Capiti hæreret Diadema,
eo per scelus violato, detracti Regno tituli.
Sed alter, cùm Vni dedisset Coronam,
Patriæ restituit.
Neq; verò (dicebat) AVGVSTVS *potest partiri Lechiam,*
Solus habere potest.
Quid, unã datis, Coronæ partem; cùm alteram stemmate præferat?
Totam proinde possideat.
Bene, ad Solium, diviso invitatur Regno,
Cui, dimidium est avitum Diadema.
Itaq; perunxit Principem
Vt, scissæ, coirent vulnera REIPVBLICÆ:
Verè, Thaumaturgus Pacificator!
affuso, incendium restinxit, oleo.
Ne, in partes abiret Sarmaticus Orbis,
Regali adstrinxit fasciâ.
Laudavit, Cæleste planè consilium, EVROPA;
Vnanimi plausu excepit PATRIA.
PRÆSVLI debebit, quam, sub AVGVSTO, *gloriæ messem colliget.*
Solem ambiens Corona, nimbos minetur aliis;
AVGVSTI CORONATIO, ominatur Serenitatem.

EXhibuimus Te PRINCEPS Celsissime, qualis, REGEM inaugurabas: jam exhibemus, qua-

qualem Te Cælo, propulſata paupertas, ſuo jure inaugurat. Diſſentaneū quidem aliquid à Tua Munificentia agimus, dum locupletem Tuo Munere egeſtatem, poſtremò venire jubemus, quam Tu principe loco, etiam in Purpura colis. Si SECVLORVM MVNVS es, hoc, indigentia præripere debuit. Sed nunquam Tibi non opportunè occurrit egeſtas, & quæ fuerit extrema, Munificentiam maximè commendat. Vtinam verò tam liberalis ſtylus nobis contingeret, quàm Tu in omnes affluis. Non enim perparcè loquendum, ut pro modo Beneficentiæ, ſit laudatio. Si tamen inopem de Tua liberalitate videris dictionem, ex hac inopia laudum, maximè æſtimabitur. Iam enim, nulla alia egeſtas eſt, quamdiu Tu abundas, nec aliquid illi, niſi quod Tibi deeſt. Credimus, faſtigia Tuæ felicitatis, Te ideo conſcendiſſe, ut faciliꝰ, ex illis, quos videres miſeros, redderes felices. Hoc enim ſufficerat pleriſqꝫ, ne calamitoſi eſſent, quòd eſſe, à Te viderentur. Non indignatur inopia opibus Tuis, quas habet. Inveniſti artem, quâ, odioſam illi opulentiam, amicam redderes; cùm nullus jam miſer ſit, niſi qui eſſe, à Te ignoratur. Eſt & illud non vulgare in Tua Beneficētia, quòd omnium inopes, non egeant multâ poſtulatione.

Quod, importunæ extorquent preces, læſæ, pu-
tas eſſe redemptionem patientiæ, non alienæ for-
tunæ auctionem. Hinc eſt, ut, illi quoq; qui men-
dicitatem ſuam, ad ſubſidium poſcunt patere,
non ad notitiam; non erubeſcant, Te, velut ſuum
frequentare Promum, certi, non oportere apud
Te, verecundiâ fœnerari. Sic Beneficia Tua;
hâc cumulas gratiâ, quòd velis eſſe ſpontanea.
Quo etiam factum eſt, ut ad Solium quod adis,
cæteras omnes curas præverterit, meditatum in-
opiæ ſubſidium. Antequam enim mendicitatem
Metropolîs vidiſſes, voluiſti ſubmotam. Tam
Tua Virtus arcet pauperes, quàm aliorum fa-
ſtidium. Iisdem ſimul literis, Magiſtratui Cra-
covienſi, & Tuæ aditum Dignitatis, & egeſta-
tis ab Vrbe exilium denuntiaſti. Permiſiſti illi,
modum ſublevandæ inopiæ, ut auderet, quem-
cunq;, inexhauſtæ Beneficentiæ præſcribere. Et
hoc magnum eſt, pro alieno arbitrio, poſſe eſſe
liberalem. Si igitur calamitate, & morbo ſuo de-
jectos, paſſimq; jacentes, repurgatæ Vrbis pla-
teæ, deinceps non viderint, prodigiũ erit PON-
TIFICIS, qui omne morborũ, & calamitatis ge-
nus, ingreſſu ſuo fugaverit. Si tecta deinceps
mendicitas, per ſciſſuram laciniarum, non oſten-
taverit illiberalem ditiorum animum, palàm fiet,
Te

Te plures ex merito, gessisse Purpuras, ut amicta esset nuditas. Et hæc quidem sunt Beneficentiæ Tuæ vestigia, quò necdum accessisti, at, unde recesseris, noſceris ſemper præſens futurus, magnitudine Beneficii. Deſiderabunt Te tamen velut ſuum Numen, Plocenſe, & Pułtovienſe, Templa, quibus ſquallorem architectâ pietate depuliſti, & iterũ abſentiâ intuliſti. Requirent Te, Tuo Munere comptiores Aræ, omniſq; comparata venuſtas, ſentiet deeſſe ſolam ex PRINCIPE elegantiam. Hæc omnia Liberalitatis Tuæ argumenta, enumerare jucundum eſt, etſi aliorũ fuerint, experimento. Eſt tamẽ ut gratior, propria, cuiq;, Beneficii uſura, ita & commendatio. Hinc eſt, ut Tua Munificentia ſe-ipsã prope ſuperet, cùm nobis impenditur. Vt, verò ordiamur à recenti. jam toto SECVLO, incoluerat Torunium Societas, & tanti temporis lapſu dubitari poterat, an haberet domicilium, ubi tamdiu incoluiſſet. Sed, ut ipſe SECVLORVM MVNVS es, ita Secularia dona conferre, Solus potes. Nec pœnitet, anguſtas diu ædes habitaſſe, quæ, Tuæ ſinum Beneficentiæ laxârunt. Prope optandum fuit, malè ſartum, tectumq; coli ædificium, ut pateret, condi non poſſe ſine Arbore DAMBSCIANA. Ergo ſurgunt

gunt

gunt Collegii Torunensis tecta, non solùm ad commoditatem nostram opportuna, sed ad Tui quoq; Nominis commendationem, magnifica. Æquamus cætera domicilia, cæmentô, sed nostrum superat omnia Magnitudine Conditoris. Vis, dicam, Celsissime PRINCEPS architectantis Tuæ Munificentiæ amplitudinem? Egisti in uno ædificio, quod ad ædificationem sit totius Civitatis. Nam quidquid deinde inquilinorum aget industria, ut alibi collapsi, redintegrentur mores, alibi provisum sit ne collabantur, noscetur, publicæ ædificationi à Te initium factum. Si nec inferi, nec (Civitatis illius Insigne,) Portæ, adversùs Ecclesiam prævaluerint dicetur, novo ædificiò à Te suffultam. Itaquamvis mole amplas, utilitate tamen, magìs extendis ædes. Vt maximum voluisses domicilium nobis excitatum, facere non poteras, quin emolumentis semper cresceret. Et cùm multùm creverit, non capient se tamē lætitiâ, concinnæ mansionis inquilini Socii, semperq; se cogi deprehendent ad angustias, olim quidem inhabitatæ ædis, nunc imparis beneficio gratitudinis. Moratur gratâ, Moles de Tuo nostra, recordationē; nec excedere placeret nisi Templa subiremus. Nempe quod Gedani surrexit è suis ruderibus, in cen-

sum

ſum venit Tuæ Beneficentiæ. Abuſus oppor-
tunitate livor, prope non invitus, igne Templum
noſtrum abſumpſerat, quòd crederet ſic extin-
gui poſſe pietatem. Sed ex ipſis cineribus, Be-
neficentia Tua clarior emicuit; plus Tuus ar-
dor valuit, quàm belli livorisq; faces: moviſti
omnem lapidem in Sacræ Ædis molitionem. Po-
teras deinde ſolenni ritu, dedicare Templum,
quod conſecraveras Beneficio, cùm, omnis pla-
nè de pariete lapis, Te Conditorem ſuum clama-
ret. Et hoc Propugnaculum quidem Pietatis
eſt, ſed externum, & quaſi exulantis Societatis ſo-
latium. Contendiſti deinceps ut intrà Vrbem,
locum induſtriæ noſtræ faceres ampliorem. Er-
go Sacellum Regium nobis addixeras, nec aliud
obfuit adeundo, quàm quòd graves hæreſi vide-
remur Concives & Vicini. Non facimus memo-
randi beneficia Tua, finem; ut Tu, nunquam finē
facis exhibendi. In iis recenſendis, ad noſtras eti-
am, memoriâ redimus calamitates, cùm gaudiū,
majus ſit ex ſublevatis, quàm dolor fuerat ex infli-
ctis. Redimus ad Te, quondā exules; recordatio-
nē exilii tā benignè accipe, quā exules olim foviſti.
Cùm belli tempeſtas, & diffuſa, à Cameneco ex-
pugnato procella, Socios disjeciſſet; Tertiæ Pro-
bationis Domum noſtram, in littus Tuum ejecit.

DOLOROSISSIMA loci PARENS, non in alterum potiùs ſinum, concedere Socios optabat, quàm Tuum. Te, Sibi ſubſtituit, officiumq; MATRIS, diviſit veluti cum PARENTE. Fuit planè tunc Domus illa Probationis, & à veteri ſuo uſu, & à Tuæ Beneficentiæ experimento; eadem enim calamitas quæ nos exercuit, probavit, ex liberaliſſimi PRINCIPIS Munere, fortunatiores nos fuiſſe exules, quàm Domi noſtræ inquilinos. Niſi communia nos preſſiſſent mala, jam propriorum ſenſum perdideramus. Abſtuleras prope, cupidinē redeundi, cū, Humanitate Tua, videremur verſari non in alieno; ſic omnia, Propoſito noſtro congruebant, inprimisq; Sanctitas Larium, quos non feciſſe, ſed jam reperiſſe Religioſos, videbamur. Quid reſtat PRINCEPS, quàm ut exercitæ in Domo illa Tertiæ Probationis, Beneficentiæ Tuæ credamus. Non uno experimento probata eſt, frequens dedit ſui ſpecimen, & pignus illius tenemus, eam ipſam. Facimus gradum ad ſequentia Beneficia, per priora; & quidquid decerpimus, ex genio Arboris Tuæ, in novam repullulat Munificentiam.

In-

INfelix elogium. Benignitatem PRINCIPIS offendet.
Confundi enim se putat, quoties vulgantur Beneficia,
acsi vituperii genus foret, laus Munificentiæ.
Nulli, dando, incussit ruborem;
ne, sanguine extorto, constaret munus.
Ipse tamen, ad Benefactoris Nomen, pudore suffunditur,
Sanguinem daturus:
nisi, quod erogat aurum, sanguis fieret in venis indigentium.
Tam capitali odio, sua prosequitur dona,
ut, mentionem quoq; illorum horreat.
Cæterùm, indignare PRÆSVL.
Hîc Tibi non parere, est obsequi conscientiæ.
Si natura Tuæ Beneficentiæ, negat nobis,
dabit indignatio versum, quo excurremus in encomia.
Lædi se patietur,
quæ renuit prædicari Liberalitas.
Cùm enim Mens Tua, nonnisi benefaciendi sit tenacissima
gloriæ, etiam prodigus videris;
adeò Liberalis, ut nec famam Liberalitatis, velis retinere,

nec, laudum ſis avarus.
A Gratiarum contubernio repellis Muſas,
cùm tamen germanæ Gratiarum, cenſeantur.
Immortalia ſunt, quæ nobis præſtitiſti,
inſepeliri oblivioni, nequeunt.
Intrà Societatem IESV, fundâſti
(Plinii loquar ore, quia, Trajano es melior)
quandam, *Beneficiorum Societatem.*
Perſuaſiſti, ut fabulis annumeremus, ternum Gratiarum numerum,
innumeras enim in nos profundis.
Nec tam ex ærario depromis, quàm ex animo.
Planè PRÆSVL noſter, AVGVSTINVS:
Cor habet ad manum,
quidquid obtulit, ſcimus eum dediſſe ex Corde.
Recepit nos extorres, in Domum, imò in Animum.
Et, cùm hoſtilis tempeſtas latè inundâſſet,
PINVS PRÆSVLEA, in naufragio nobis tabula erat.
Cùm fugeremus Scytharum arcum,
ſtetimus in meta Sagittis Pontificii Amoris.
Terris pulſos, quaſi Cælo recepit.
Et tum quidem, Tertiam Probationem, Secundam fuiſſe dixero:
cui, à Pontificia Fortuna, tantum erat proviſum,
ut ipſis, Doloroſæ PARENTIS lacrymis arrideret.
Iam Torunii, quantum conſurgit monumentum
erectæ ſemper in nos ſublimisq; Beneficentiæ!
Erigis Collegium, an AVGVSTALE!
in quo reſideat PRÆSVLEVS Favor.
Nullum tamen, Te ipſo magnificentius, incolimus.
Palàm eſt, intra Tuum, nos vivere Pectus,
commorari in animo.
Vnus, totius Societatis es Collegium.
Neque cæteris invidebit Cracovia;
quæ cæperant Reges, perficies.
Etiam Regum liberalitati, impones Coronidem,
poſt Reges Coronatos.
In eam ſpem erigit animos, Tua PINVS,

quæ

quæ ſic Beneficiis decerpitur,
ut frondeſcat in nova.
Parciùs Munificentiam Tuam prædicavimus.
Quidquid tamen legis, eliquato corde ſcriptum crede.
Non Eloquentiæ ſtylus eſt, ſed Gratitudinis.
Et ne ſemper accepiſſe videamur,
eſt, quod & Munificentiſſimo largiamur.
Nimirum, dividimus Tecum annos,
ut in Tua ſpires Anima, & in noſtris.

MVnus Seculorum extollimus, ad quos potiſſimùm illius utilitas eſt derivata. Quid tupereſt? niſi ut diuturnũ, & Seculorũ pariter votũ ſit. Pro exſpectatione, ſit tanti Muneris uſus. Omnis verò brevior erit, qui Secula non excedet, vel non attinget. Hæc optima lex diſpertiendi Secularia Dona, ut quæ non poſſunt eſſe properata, ſint diuturna. Hinc eſt, ut credamꝰ non poſſe Cælos odiſſe Seculare Munus, PRINCIPEM, quẽ è voto omniũ, ſupra ante actorũ felicitatẽ Seculorũ indulſerunt. Ergo Seculari Muneri adjiciant perennitatem, ut quemadmodum ab exſpectatione noſtra fuiſti, ita à diuturno uſu, ſis PRINCEPS SECVLORVM.